LIBER GALENI DE SYMPTOMATUM CAUSIS PRIMUS:

In theses contractus, & publici ac solennis exercitij gratiâ in inclytâ Argentoratensium Academiâ ad disputandum propositus

à

MELCHIORE SEBIZIO, MEDICINAE DOCTORE AC PROFESSORE, & Reipubl. Archiatro:

Respondente

JOHANNE GERHARDO Jägern/ Trinifanensi Idstenio - Nassovio.



In Auditorio Majore

Ad diem Augusti, Horis matutinis.



ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI,

ANNO M DC. XXXI.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

VIRO NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO;

Dn. JOHAN. MEINHARDO à Leyen, Illustris ac Generosi Domini, Dn. IOHANNIS Comitis in Nassaw Sarprücken &c. Consiliario & Archipræfecto Idsteniensi dignissimo; Susceptori ac patrono suo submissè colendo;

NEC NON

Viris Amplissimis, Consultissimis, admodùm Reverendis, Clarissimis, Experientissimis, Spectatissimis,

Dn. REYMUNDO Jägern / J. U. D. ejusdemq; Dn. Comitis Consiliario vigilantiss: in Idstein, Patruo:

Dn. ZACHARIÆ VIETORI, J. U. D. & Illustrium Comit. Waldeccensium Cancellario digniss: Affini:

Dn. M. TOBIÆ WEBERO, Dn. M. GOTFREDO STEPHANI, Superintendentib. in Comitatibus Nassaw Idstein / Wisbaden & Weilburg fidelissimis, Affinibus:

Dn. M. JOHANNI Jägern / Ecclesiæ ad fanum SS. Triados Pastori fideli, Parenti:

Dn. M. MARTINO Jägern / Eccles. Birstad. Pastori digniss: Patruo.

Dn. PHILIPPO WEBERO, Med. Doct. Archiatro Saræpontano felicissimo, Affini:

Dn. JOH. CASPARO Jägern / L. L. prædicti Dn. Comitis Consiliario, Patrueli:

Dn. M. GEORGIO PLEBANO, in Breithardt / Dn. M. JOH. MECKELIO, in Kloppenheim / Sororiis.

Dn. WILH. FRIDERICO Nassau, in Auroff / Consobrino & Compat. singulis suis in locis verbi divini Ministris fidelissimis:

Dn. PHILIPPO CUSTORI, Prætori in Esche digniss. Sororio & Compatri:

Dn. ADOLPHO Jägern / Civi in Wisbaden è primis. Fratr. German.

Dnn. Patronis, Mecœnatibus, Fautoribus, Benefactoribus atq; Amicis suis, omni observantiæ & honorum cultu prosequendis,

Librum hunc Galeni primum de Symptomatum Causis, in grati animi σημεῖον, debitæque observantiæ τεκμήριον consecrat ac offert

JOHAN. GERHARD Jäger / Trinif: Idstenio - Nassovius.

IN
LIBRUM GALENI DE CAUSIS SYMPTOMATUM PRIMUM

Præfatiuncula.



VM Galenus *νοσολογίαν generalem nobis describeret, primùm τὸ ὅτι, ipsas scil morborum differentias tradidit: posteà τὸ διότι, hoc est, causas singularum differentiarum patefecit. Hunc eundem ordinem etiam in συμπτωματολογίᾳ observat: & priori loco symptomatum species & differentias recenset: quod fecit libro præcedenti, qui περὶ διαφορᾶς συμπτωμάτων inscribitur: posteriori verò harum differentiarum causas explicat: id quod hoc opere, tribus libris comprehenso, & titulo περὶ αἰτίων συμπτωμάτων insignito, præstat.*

Antequam verò eos in theses contrahamus, placet paucis eorum divisionem in partes majores & minores præmittere: postmodùm etiam primi libri ἀνάλυσιν in specie exhibere.

Dividitur *autem totum opus de Symptomatum causis in partes majores tres.*

I. est Exordium. II. Tractatio. III. Appendicula quadam.

Exordium *absolvitur* cap. 1. l. 1. *quo significatur, quid hoc in opere, & quo ordine docere velit.*

Tractatio *continetur reliquis capitibus singulorum librorum, & extenditur usq; ad partem posteriorem capitis ultimi libri tertij.*

In illis autem causas omnium symptomatum, actionis nimirum læsæ, immoderatarum excretionum & retentionum, deniq. simplicium corporis affectuum exponit: adeò ut illius iterùm tria membra constitui posŝint.

In primo *declarat causas primi symptomatum generis, nempè* actionis læsæ : *libro primo, secundo, & parte priori capitis secundi libri tertij.*

In secundo *causas enumerat secundi symptomatum generis, scil.* immoderatæ retentionis & excretionis: *parte secundâ capitis secundi libri tertij: cujus initium ibi*: alterum ergò symptomatum genus consistit in multitudine & qualitate excretorum. *Nec non cap.3.& 4.ejusdem libri tertij.*

In tertio *tertij symptomatum generis, videlicet* simplicium corporis affectuum, *causas enarrat: parte priori cap. ultimi lib. tertij.*

Appendicula *extat parte posteriori capitis ultimi l. tertij, in quâ breviter ostendit, quænam symptomata necessariò, & quæ non necessariò se invicem sequantur.*

CAETERÙM, primus liber operis de causis symptomatum, *quem nunc præ manibus habêmus, in duas partes majores dispesci potest.*

I. est Exordium operis totius, *quo in breviter significat, quid in eo docere velit, & quo ordine: quòd scil. causas symptomatum, & quidem eo ordine, quo differentiæ eorum præcedenti libro traditæ fuerunt, explicare habeat in animo.* Cap. 1.

II. Tractatio, *in quâ causas eorum symptomatum patefacit, quæ sensitivæ actioni eveniunt. Potest autem memoriæ & clarioris doctrinæ causâ rursùs in 4. membra subdividi.*

In primo *causas symptomatum, quæ quinque sensibus externis accidunt, edisserit.* Capit.2.3.4.&5.

In secundo *causas voluptatis & doloris in omnibus sensibus externis, tùm generales, tùm speciales, ostendit. Sunt enim voluptas & dolor ejusmodi accidentia, quæ omnibus sensibus communis*

munia sunt: quanquam in Tactu & Gustu sint evidentiora: minùs in Auditu: omnium minimè in Visu. Cap. 6.

In tertio *de causis symptomatum, quæ ob exquisitum orificij ventriculi sensum contingunt, agit.* Cap. 7.

In quarto *causas adjicit eorum symptomatum, quæ πρώτῳ αἰσθητικῷ, ipsi scil. Cerebro, eveniunt.* Cap. 8.

THESIS I.

DE differentiis symptomatum actum est libro præcedenti. De causis eorum agendum restat libris tribus sequentibus: & quidem eo ordine, quo ordine differentiæ fuerunt propositæ. *Cap.* 1. *Exordiū operis totius.*

2. Dictum autem, symptomatum genera in universum esse tria: & primùm dissertatum *de læsâ actione*: sub quâ inaudire etiam oportet eam, quæ prorsùs periit. *Cap.* 1.

3. Cùm verò actiones sint duplices: φυσικαὶ, naturales, & ψυχικαὶ, animales: initium factum ab animalibus: eæq; in αἰσθητικὰς, sentientes, κινητικὰς, motivas, & ἡγεμονικὰς, rectrices, sive principes divisæ. Itaque etiam omnium primò causæ symptomatum, quæ in actionibus animalibus observantur, enarrandæ sunt: & quidem eorum, quæ in actionibus sentiendi contingunt. *Cap.* 1.

4. In his ergò triplex incidit symptomatum differentia: quia in omni sensu tres necessariæ sunt causæ: *primarium sensûs instrumentum: sentiendi facultas: & ea, quæ primario sentiendi instrumento subserviunt*: quarum causarum affectus tria symptomatum genera in actionibus sensitivis pariunt. I. est, cùm πρῶτον τῆς αἰσθήσεως ὄργανον, primum sensûs instrumentum malè est affectum. II. cùm ἡ δύναμις αἰσθητικὴ, sentiendi facultas laborat. III. cùm aliquod eorū, quæ primo sentiendi instrumento famulantur, malè habet. *Cap.* 1. *Tractationis membrum primum.*

5. Manifestum hoc est primùm *in actione sentiendi eâ*, quæ *visiva* appellatur. In hac enim tres istæ causæ concurrunt. I. primarium videndi organum, humor crystallinus. II. sentiendi facultas, quæ à cerebro per nervum opticum ad humorem crystallinũ transmittitur. III. partes illi servientes, oculi tunicæ, humores, spiritus, palpebræ, &c. *Cap.2.*

6. Quodsi igitur aliqua harum causarum malè affecta fuerit, animal, vel malè videbit, diminutè scil. aut depravatè: vel prorsùs non videbit. *Cap. 2.*

7. Cæterùm, affectus humoris crystallini, quorum causâ visio læditur, triplices sunt: similares, dissimilares, & communes. Similares sunt octo intemperies: 4. simplices, totidemque compositæ. Organici, dimotiones & translationes à sede propriâ. Nam si humor crystallinus sursum deorsumve inclinet, facit, ut, quæ videtur, duplicia appareant. Communes, continui solutiones. *Cap.2.*

8. Affectus, qui facultatem impediunt, quò minus oculo communicetur, itidem sunt triplices: similares, dissimilares, & communes: suntque vel cerebri, vel nervi optici. Similares sunt octo intemperies. Dissimilares, obstructiones, compressiones, quæ cavitates harum partium lædunt, & tumores p. n. qui ex humorum affluxu nascuntur. Cõmunes, continuitatis, sive unionis solutiones. *Cap.2.*

9. Affectus partium, quæ crystallino humori famulantur, & causæ sunt symptomatum, quæ in visione contingunt, varij sunt, quoniam & partes famulantes variæ existunt: uvea nimirùm tunica, humor aqueus, spiritus animalis, tunica cornea, tunica adnata, & palpebræ; de quibus ordine dicendum. *Cap.2.*

10. *Uveæ affectus visum lædentes*, vel organici sunt, vel communes. Organici sunt, obstructiones pupillæ, sive foraminis, uveæ insculpti, quod Græci *κόρην* appellant, ampliationes, sive dilatationes, & imminutiones. Communes

sunt,

sunt, ulcera & vulnera. Hoc enim uveæ foramen, per quod crystallinus humor ad corneam se applicat, ac per eam, velut per subtile lucidúmque cornu colores videt, 4. modis à naturali statu recedit. I. cùm p. n augetur & dilatatur. II. cùm diminuitur & angustius redditur. III. cùm divellitur. IV. cùm rumpitur. *Cap.* 2.

11. *Auctio*, seu *ampliatio*, visui semper incommodat; sive nobis congenita fuerit; sive nobis jam in lucem editis contigerit. *Diminutio* non semper visum offendit. Nam si in utero contracta sit, acutissimi visûs occasio est. Sin postea evenerit, pravum visum facit. *Divulsio* & *ruptio*, quocunque tempore fiant, noxam notatu dignam visui minimè afferunt: quod *Galenus* experientiâ sibi comprobatum testatur. *Cap.* 2.

12. Cur verò amplitudo foraminis uveæ perpetuò videndi actioni noceat: angustia verò non semper? investigatione dignum est. Causa autem facilè invenitur, si in memoriam revocetur, nervum, qui à cerebro ad oculum fertur, atque ob id à Medicis opticus: ab *Herophilo*, quòd solus manifestam cavitatem habeat, πόρος vocatur, spiritûs animalis viam esse, húncque per illum à cerebro in oculos cõfluere. Id quod ex eo perspicere licet: quia si alterum oculum claudamus, alterius pupillam dilatari cernimus: non aliâ sanè de causâ, quàm quòd spiritus, qui priùs ambobus erat distributus oculis, in unum duntaxat commeet. Quo ex signo etiam dignoscere licet, num ij, qui suffusione laborant, acu admotâ, administratáque compunctione, visum recepturi sint, necne? Nam quibus altero oculorum clauso pupillam dilatari contingit, eos compunctos visum recuperaturos spes est. Indicium quippe est, spiritus animalis adhùc à cerebro in crystallinũ humorẽ, & in id, quod ei objectum est, spatium, demitti. Quibus verò foramẽ uveæ non dilatatur, ijs spiritus visorius ad hæc loca minimè fertur.

tur. Ideóque visum nunquam recuperant: etiamsi jucundissimè &optimè tractentur. *Cap.2.*

13. Ex quibus evidentissimum est, confluere ad oculos à cerebro spiritum animalem, tùm in crystallinum humorem, tùm verò omnem in locum, sive spatium, quod illi est objectum, & quod uveæ foramen determinat. Quare, nil mirum, amplitudinem hujus foraminis ad bonam visionẽ parùm esse commodam. Etenim pupilla, sive in primâ statim, quæ in utero fit, cõformatione: sive posteà amplior reddita, non potest universa à spiritu, quem cerebrum largitur, impleri. Ideóq; diffusus, dissolutúsque, & dissipatus, visionem reddit infirmiorem. Vis enim unita ac coacta robustior est, efficaciúsque operatur, quàm dissipata atque dispersa. Unde fit, ut qui amplas latásque habent pupillas, oculis conniventibus res penè omnes intueantur. Nam ne spiritus eorum visorij à lumine externo diffusi dissipentur, palpebras contrahant necesse est. Contrà, pupillâ angustatâ, spiritus colligitur, & constringitur, densiórq; evadit. At ostensum *in libris de usu partium*, spiritum coactum atq; constrictum ad sensûs bonitatem conferre: dissolutum verò dissipatúmque sentiendi difficultatem adferre. *Cap. 2.*

14. Cur autem morbi ratione minor reddita pupilla mediocri deterior fit? nunc indagandum. Hoc autem non fit per se, quia exigua & angusta est pupilla: (aliâs semper visui noxia esset) sed duntaxat ex accidenti: nimirùm occasione pravorum affectuum, quos sequitur, quique oculum ita affligunt, ut deteriùs videat. *Cap. 2.*

15. Horum verò affectuum unus ad ipsam duntaxat uveam tunicam spectat: alter ad humorem tenuem, qui inter crystallinum & uveam consistit, quique à *Galeno* aliâs aqueus nuncupatur. *Cap.2.*

16. Affectus solius uveæ est ἔκτασις ϰ̀ χάλασις, extensio & laxi-

laxitas: ex quibus tamen tensio pupillam reddit ampliorem: laxitas verò angustiorem. Sunt enim, inquit *Fuchsius in comment.* affectus contrarij: ideóque & contraria efficiunt. Nil autem mirum, laxitatem, utpote quæ non est, nisi tensionis remissio, teste *Galeno l.5.simpl.c.*10. & humiditatem emollientem sequitur, angustiorem facere pupillam. Nam uvea tunica nimio humore imbuta, mollior & quasi solutior effecta, laxatur & remittitur, adeóque in se ipsam collabitur. Eâ verò in se concidente laxioréque factâ, foramen quoque ejus in se collabi, contrahi, & corrugari, adcóque minus atq; angustius reddi necesse est. Id quod etiam in externis subinde partibus accidere videmus. Nam & ligamenta articulorum, immodico imbuta humore, relaxantur.

17. Affectus verò humoris aquei, ob quem pupilla, sive foramen uveæ, fit minus, & angustius, & visus deterior, ἔλλειψις, defectus quidam est. Ostensum enim in *libris de visu, de us. part. & de plac. Hipp. ac Plat.* crystallinum humorẽ quodam semper propugnaculo indigere, ut citra offensam externum splendorem sustinere queat. Ex propugnaculis autem etiam unum esse humorem aqueum: qui prætereà crystallini quoq; humoris ὐσίαν, essentiam, nonnihil juvat. Quare, ubi humor iste parcior factus est, ipse quoque crystallinus humor aridior redditur: eò quòd non satis liberaliter humore imbuatur. Deficiente ergò humore aqueo, vacuatur spatium internum, quod est inter uveam & crystallinum liquorem. Uvea verò super ipsum decidens, spatium, quod inter ipsam & crystallinum est mediũ, brevius efficit. Quocircà, cùm crystallinus cogatur hoc nomine per breve admodùm spatium externi aëris splendori occurrere, persimili laborat pathemate, ut ij, qui apertis & inconniventibus oculis Solem intuentur. Quorum certè aliqui excæcati sunt; omnes verò ita offensi, ut vix unquam

B pristi-

priſtinū recuperare viſum potuerint. Fieri.n. non poteſt, ut viſus ὄργανον ſplendidam lucem citra offenſam tolerare valeat. Proinde, ne ſplendidâ luce facilè cryſtallinus humor læderetur, uvea tunica ei objecta eſt, quæ nigro ſimul & cœruleo colore eſt tincta. His namq; potiſſimùm coloribus viſus, à ſplendidâ luce fatigatus recreatur. *Cap.2.*

18. Atque hæc cauſa eſt, cur imminutus circa pupillam aqueus humor, & deteriorem faciat viſum: & minus reddat uveæ foramen. Prius enim facit, quando cryſtallinus ſplendori lucis eſt objectus, nullo munitus propugnaculo ac munimento. Poſterius verò, quia uvea contrahitur, corrugatur, & in ſe ipſam concidit. *Cap.2.*

19. Eiuſmodi autē oculorum affectus curatu difficilimus eſt: quòd ſcil. non ſit, niſi ſicca cryſtallini dyſcraſia, ex aquei humoris effuſione nata. Alter verò affectus, qui propter humiditatem uveæ pupillam reddit minorem, h. e. ipſa χάλασις, laxitas, minus pravus eſt. Difficilius quippe eſt ſimilarem partem exiccatā & arefactam humectare, quàm humidam exiccare. *Cap.2.*

20. Sed hæc medendi methodùm attingunt. Ideóq; hîc ſunt ἑτερογενῆ καὶ ἀλλότρια. Redeamus igitur ad ἔργον. Moleſta quidem eſt, quæ p.n. hoc eſt, morbi ratione, accidit pupillæ parvitas: bona verò, quæ σύμφυτος, nativa. Amplitudo autem, quæ σύμφυτος, nequaquam bona. Neque verò ea, quæ παρὰ φύσιν evenit, bona eſt: minùs autem hâc ipsâ mala eſt anguſtia. Quippe cauſa, ut ita dixerimus συνεκτική, amplitudinem pupillæ generans, uveæ tunicæ τάσις, tenſio eſt: quemadmodùm parvitatis χάλασις, laxatio. *Cap.2.*

21. Itaque collatis inter ſe amplitudine & anguſtiâ pupillæ præternaturalibus, anguſtia minùs, quàm amplitudo mala eſt. Ratio eſt: quia hæc à ſiccitate: illa verò ab humiditate oritur. At difficiliùs ſimilarium partium ſiccitas curatur, quàm humiditas. Tenſio autem uveæ cauſa amplitudinis

[illegible]s est, & siccitatem sequitur. Laxitas vero parvitatem causat, & ab humiditate proficiscitur. *Cap* 2.

22. Porrò, cùm τάσις, tensio, affectus sit uveæ, sciendum, tensionem istam accidere bifariam. I. κατὰ τὸν ἑαυτῆς λόγον, cùm scil. uvea per se, primò, & nullo alio interveniente laborat: II. κατὰ συμβεβηκὸς, per accidens. *Cap.* 2.

23. Per se tenditur uvea, cùm morbus in ipsâ uveâ consistit. Est verò is vel intemperies; quando ut pars similaris exiccatur: vel tumor p. n. cùm ut pars organica humectatur, fluentibus ad illam humoribus, & tumorem excitantibus. Ex quibus sicca quidem uveæ intemperies curatu difficilis est: morbi verò organici, qui à superfluis humoribus profecti, ut tumores, v. g. phlegmone, scirrhi, abscessus &c. non item. A perito enim Medico facili negotio curantur. *Cap.*2.

24. Per accidens tenditur eadem uvea, cùm velut uter, aut vesica impleta, ab humoribus, qui inter ipsam & humorem crystallinum sunt acervati, in omnem partem distenditur. *Cap.*2.

25. Præter hosce pupillæ, uveæ ipsius, & aquei humoris affectus etiam alij sunt, à quibus visus, aut impeditur, aut omninò aboletur. Et in uveâ quidem continui solutio est: quæ similaribus & dissimilaribus partibus est communis. Sub eâ verò vulnus & ulcus cõprehenduntur: quæ si adeò sint magna, ut uvea ἱκανῶς, abundè disrumpatur, humórq; aqueus extra illam effundatur, adeo ut jam corneam attingat, duo ἄτοπα, absurda, hoc in casu accidere est necesse. I. ut uvea super crystallinum decidat. II. ut spiritus à cerebro in pupillam universam non perveniat. Causa est: quia per vulnus & ulcus magna ejus portio effluit. Ambo autem, vel alterum duntaxat eorum visui officere, ex dictis liquet. *Cap.*2.

26. *Hactenus docuimus* quomodo affectus tunicæ uveę cau-

ſæ ſint ſymptomatum in viſu. Sequitur,ut quo pacto *vitia humoris aquei* eidem incommodent, explicemus. *Cap. 2.*

27. Incommodat autem humor iſte, ſi vitium habeat in quantitate, aut qualitate. In quantitate, ſi juſto fuerit copioſior, aut parcior: quemadmodum anteà dictum. In qualitate, ſi peccaverit in conſiſtentiâ & colore: de quibus vitiis jam dicendum. *Cap.2.*

28. *Vitium conſiſtentiæ eſt*, ſi aqueus humor ſe ipſo ſit craſſior. Obtundit enim videndi aciem, facítque, ut neque ea, quæ procul abſunt, neque propinqua accuratè videantur. Quod ſi valdè craſſus ſit, quemadmodum in ὑποχύμασι, ſuffuſionibus, accidit, viſum adimit. Sin totum uveæ foramen à craſſo illic conſiſtente humore non ſit obtenebratum, ſed aliqua pars pura relinquatur, per illam res externas ſingulas ſolas nihilò deteriùs, quàm anteà, non tamẽ uno tẽpore multas vident: eò quòd viſionis conus factus ſit anguſtior. Si verò in pupillæ centro exigua cõſiſtat ſuffuſio, partibus, quæ in circuitu ſunt, manentibus puris, tùm media objecti pars haud videtur; reliquæ verò ſenſum immutant; ideóque omnia ijs, qui ita laborant, feneſtrata eſſe videntur. Cauſa eſt: quia quod in medio non videtur, exciſum eſſe putatur. *Cap. 2.*

29. Cæterùm, accidit aliquando, ut divulſa, nec inter ſe conjuncta craſſa corpora in humore aqueo fluitent. Ideóque ijs, qui ſic habent, perinde ac ſi extrinſecus culices & muſcæ circumferantur & obvolitent, imaginationem præbent. *Cap.2.*

30. Sæpè etiam propter craſſioris humoris ſubſtantiam velut ſimulachrum quoddam ſibi apparere arbitrantur. Cujuſmodi ſimulachri apparitio ijs maximè obtingit, qui à ſomno expergiſcuntur: præcipuè verò pueris, & iis, qui pluſculum vini biberunt, aut aliâs capite ſunt pleno. *Cap.2.*

31. *Vitium aquei humoris in colore* varium eſt. Aut enim humor

humor iste fuscus est, aut alius. Et vel æqualiter, vel inæqualiter eo est colore tinctus. *Cap.2.*

32. Fuscus color facit, ut homo quasi per nebulam, aut fumum videat. Alius aliam visibilium imaginem repræsentat. Talia enim apparent visa, quale est, per quod cernimus, medium. Itaque mutato aquei humoris colore, mutata etiam, quæ per ipsum cernuntur, omnia putantur. *Cap.2.*

33. Ex hoc symptomatum genere sunt visa eorum, qui suffusione laborant. Item, quibus per *κρίσεις* morborũ sanguis è naribus fluxurus est: aut qui vomituri sunt. Adhæc, quibus ob crystallini & aquei humoris puritatẽ, adeò acutus & exactus est visus, ut ne minimum quidem sensile illos lateat; exhalationes verò à ventriculo feruntur sursum; præsertim ubi non probè concoxerint. Nam hi omnes ejusmodi rerum imagines vident, quæ oculis eorum obversari solent, qui suffusione infestantur. *Cap.2.*

34. Symptomatum verò magnitudo semper affectûs, unde nascuntur, magnitudini respondet. Nam si affectus sint parvi, parva quoq; visivæ actionis noxa est. Sin majores, noxa ejus est major. Si verò plurimùm à naturali statu recesserunt, actio prorsùs aboletur. Hócq; non tantùm verum est in jàm declaratis aquei humoris vitiis: verum etiam in humoris crystallini & uveæ tunicæ affectibus, qui suprà commemorati. *Cap.2.*

35. *Accedamus ad vitia spiritûs animalis*, quæ non minùs, ac vitia humoris crystallini, uveæ tunicæ & aquei humoris, visionem lædunt.

36. Est verò ratione qualitatis, vel exquisitè purus, velut æther, h.e. cœlum clarum, nubibúsque minimè obductum: vel humidus, ac nebulæ instar turbidus. Ratione verò quantitatis, aut multus & copiosus: aut paucus. *Cap. 2.*

37. *Multus & purus* etiam distantissima cernit, & exactè

 discer-

discernit. *Paucus*, sed *purus*, propinqua discernit accuratè, remota non videt. *Humidus & multus* distantia quidem videt, sed non exquisitè & distinctè. *Humidus & paucus*, neq; exquisitè, neque longissimè videt. *Cap.2.*

38. *Ad tunicam progrediamur corneam*, cujus quoque affectus visioni non parum obsunt. Sunt autem vel similares: vel dissimilares: vel communes. Ad similares referuntur intemperies: sub quâ crassitiem, densitatem, humiditatem & siccitatem corneæ comprehendimus. Ad dissimilares reducuntur tumores p.n. Quidam eò quoque vitiosos corneæ colores pertinere autumant. Ad communes vulnera & ulcera revocantur.

39. *Crassior densiórq; cornea*, quæ crystallino humori est objecta, hebetudinem visûs efficit. *Humidior* non hanc solùm inducit: verùm etiam facit, ut, qui sic affectus est, per nebulam, aut tenebras, aut vaporem aliquem fumumve se videre arbitretur. *Alieni colores παρόρασιν*, hallucinationem pariunt, h.e. visionem depravatam. Talia enim, ut anteà dictum, visa apparent, quale est medium, per quod cernimus. Hinc, cùm in ictericis internum medium bilioso sit infectum colore, omnia, quæ cernunt, flava esse judicant. In hyposphagmate autem, h. e. in venarum tunicæ adnatæ rupturâ, factâ ex ictu & percussione, adeò ut in extimâ oculi parte veluti sanguinis puncta appareant, omnia videntur rubra. *Ulcus notatu dignum* duplici de causâ visum lædit. I. quia redundantem humorem in oculo acervat. II. quia sublato medio interno crystallinum cum externo lumine committi cogit. Aliquid enim aquei humoris effundit, ut necesse sit, uveam super crystallinum decidere. *Ulcus admodùm magnum & profundum* multum aquei humoris effundit: quo fit, ut crystallinus exiccetur, pupilla fiat minor: cornea rugetur, & cæcitas succedat. *Idem facit vulnus*; quanquam testetur *Galenus*, visum sibi in puero, quod fuerit

fuerit curatum. Sed raræ hæ sunt sanationes, & inter admiranda numerandæ. Aufferunt autem & singula alia, si plurimùm fuerint aucta, visum. Neque id mirum: cùm sola cornea corrugata visum tollat. Id quod ijs potissimùm accidit, qui in extremâ constituti sunt senectute. Quo tempore, cùm scil. cornea corrugata, pupilla diligenter inspicienda. Nam si minor facta est, etiam aqueus humor est imminutus. Sin æqualis manserit, sola cornea affecta est: utpote arefacta. *Cap.* 2.

40. *Supersunt affectus tunicæ adnatæ*, sive conjunctivæ, quam *Galenus* ἐπιπεφυκότα ὑμένα appellat, & *palpebrarum*: qui & ipsi visui nocent. *Cap.* 2.

41. Præcipui verò affectus tunicæ adnatæ, qui visionem lædunt, sunt inflammatio, sive ὀφθαλμία: χύμωσις, quæ vehemens adnatæ est φλεγμονή, quâ album oculi supra nigrū attollitur, & palpebræ ita invertuntur, ut oculos vix tegāt: & πτερύγιον; quod membrana est nervosa, ab angulo oculi majore orta, & usque ad iridem ejus extensa. Ex quibus ὀφθαλμία quidem visionem lædit per accidens: χύμωσις autem & πτερύγιον ratione primariâ & per se. *Cap.* 2.

42. Eodem modo, primò scil. & per se, magnæ palpebrarum inflammationes, aliique earum tumores p. n. visum impediunt. Eò enim magnitudinis perveniunt, ut jam pupillam obtenebrent ac vitient. *Cap.* 3.

43. Hæc de oculis. Quæ prolixiora fuerunt, quam *Galeni* institutum postulârit. Erat enim ejus propositum, quē-admodùm ipsus indicat, generalem duntaxat docere methodum, quâ usus quispiam symptomatum causas invenire possit. Verùm, cùm generalis methodus inveniendi symptomatum causas non nisi peritioribus satisfaciat; præstet autem in particularibus exercitari: ideò non gravatur *Galenus*, modum exercitandi etiam in reliquis sensibus patefacere: quem in tribus hisce capitibus consistere ait:

I. ut-

I. ut in singulis sensoriis consideretur, quod sit ejus ὄργανον πρῶτον, adeóq; sensationis opifex? II. quæ sint partes, primo sensationis instrumento usum aliquem præstantes? III. qui sint affectus primi sensûs instrumenti? qui facultatis? qui denique earum partium, quæ primario organo usum præstant? *Cap.3.*

44. *Edisseramus ergò causas symptomatum auditûs*: quæ sunt βαρυκοΐα ϗ κωφότης, audiendi gravitas & surditas.

45. Horum verò symptomatum causa triplex esse videtur. Vel affectus alicujus particulæ, aurem constituentis: vel nervus ἀκουστικὸς laborans: vel cerebrum ipsum, quod ea in parte læsum, unde nervus oritur. *Cap.3.*

46. Omnia namque ἀναλογίᾳ quadam iis, quæ de oculis dicta sunt, respondent. Etenim, quam rationem in oculo crystallinus humor habet, eam in auribus habet interna auditorii meatus extremitas, ubi dilatatum nervum attingit. Est autem crystallinus in oculo primum visûs ὄργανον. Erit igitur etiam in auribus interna auditorij meatus extremitas, primum instrumentum auditûs. Omnes verò partes, quæ extra hunc nervum in anfractu meatûs sitæ sunt; ἀναλογίᾳ illis respondent partibus, quæ crystallino aliquem usum præstant. Ut enim reliquæ omnes oculi partes crystallini gratiâ factæ sunt; ita quoque hæ, quæ extrinsecùs in meatûs anfractu consistunt, dilatati nervi causâ. *Cap. 3.*

47. Proinde harum partium morbi, intemperies nimirùm, obstructiones à tumoribus p.n. & cõtinui solutiones, ab illis hùc sunt transferendi, & aurium partibus accommodandi. In similaribus enim repcriuntur intemperies & continui solutiones; in meatu verò obstructiones: quarum causæ sunt variæ: nempe abscessus, phlegmone, scirrhus, œdema, tumor alius, callosum aliquod, aut carnosum βλάστημα, h. e. germen, & sordes, quæ in auribus generari consueverunt. *Cap. 3.*

48. *Tran-*

48. *Transeamus ad symptomatum causas in gustu & olfactu.*

49. Eas verò nobis patefaciet constitutio partium: quẽadmodum eadem etiam priorum symptomatum, quæ in visu & auditu observantur, causas nobis indicavit. *Cap.* 4.

50. Quare si horum symptomatum causas methodo invenire voluerimus, necesse est, ut πρῶτον αἰσθητικὸν μόριον, itémq; reliquas partes, quæ totum gustûs & olfactus ὄργανον complent, noscamus. *Cap.* 4.

51. Est autem gustûs sensorium, lingua; olfactûs, cerebri ventriculi. Inseruit quidem lingua duabus facultatibus: sentiendi scil. & movendi; verùm hoc in loco tantùm ut gustûs instrumentum consideratur. *Cap* 4.

52. *Gustûs* autem symptomata duo sunt: unum, sapores planè non sentire, qui gustus dicitur abolitus: alterum, sapores malè sentire: quod fit dupliciter Primùm, eos sentire ἀμυδρῶς, obscurè & debiliter: qui gustus est diminutus: deinde παραλυπωτικῶς, depravatè: qui gustus corruptus nuncupatur. *Cap* 4.

53. Debilis, sive diminutus gustus, ἀνάλογος est hebetudini visûs, quam Græci ἀμβλυωπίαν vocant: & auditûs gravitati, quam iidem βαρηκοΐαν appellant. Depravatus παροράσει in visu, & παρακέσει in auditu proportione respondet. Denique abolitus in visu cæcitati: in auditu surditati similis est *Cap.* 4.

54. Porrò, causæ aboliti, diminuti & depravati gustûs sunt morbi, quemadmodum & aliorum symptomatum. Afficiunt autem vel facultatem, quò minùs illa linguæ cõmunicari possit: vel linguæ corpus similare, seu parenchyma, carnemve ejus propriam: vel tunicam, linguam ambientem: vel nervos linguæ, qui sunt gustatorij: vel eam cerebri partem, unde nervi illi exoriuntur. Et sunt morbi isti vulgo cogniti. Sunt enim vel similares: ut octo intemperies. vel dissimilares: ut obstructiones, compressiones, & tumores

C

mores p. n. vel communes: ut vulnera & ulcera. Et gustandi sensum vel abolent prorsùs: vel saltem difficilem reddunt. *Cap.4.*

55. Depravatè vero sentit lingua sapores, ubi alieno humore fuerit imbuta: quo in casu accidit, ut omnia, quæ gustantur, vel salsum, vel amarem, vel alium quempiam absurdum saporem, ἄῤῥητον ἢ ῥητὴν, effabilem, aut ineffabilem, præ se ferre videantur. *Cap.4.*

56. Simile est hoc symptoma ei, quod in suffusis accidit. Nam quemadmodum in suffusis visoria facultas judicat, foris se videre ea, quæ in oculo apparent: sic & gustandi facultas alienos sapores, quibus lingua infecta est, sensibilibus imputat. In ictericis, v.g. bilis amarorem, non linguæ, sed eorum, quæ gustat, πάθος esse suspicatur. In aliis verò affectibus salsedinem, aut acrem, cibis inesse imaginatur. *Cap.4.*

57. Causa verò, quod amara, salsave sentiantur, quæ tamen dulcia sunt, hæc est: quia sensibile foris adueniens vitiosum succum, quo lingua est infecta, & qui priùs quieverat, movet excitátque. Ex quo fit, ut gustandi facultas, non id, quod advenit, sed potiùs quod in linguâ redundat, billosum v.g. salsúmve succum, sentiat. *Cap.4.*

58. Evenit tamen interdum, quamvis raro, ut, priusquam aliquid gustemus, succi alieni linguam imbuentes sentiantur; idq; propter exquisitum gustandi sensum Simile namque hic accidit illi, quod in stomachicis usu venire affectibus cõperimus. In his enim, aut suffusionis symptomata incidũt: aut soni sentiuntur in auribus, nullâ re foris strepente: aut odores percipiuntur in naribus, nullâ extrinsecùs occurrente re odoratâ. *Cap.4.*

59. *Sequuntur causæ symptomatum in olfactu*, quas *Galenus* eâdem planè methodo colligit, quâ reliquorum symptomatum: nimirùm à læsâ olfactûs facultate: à primario illius

lius instrumento: & iis, quæ huic usum aliquem præbent, partibus.

60. Inservit autem nasus, non secùs ac lingua, facultati duplici. Est enim veluti finis, sive terminus aliquis instrumentorum olfactûs ac respirationis. Per eum siquidem odores feruntur ad organa olfactûs: & aër inspiratione attractus deducitur ad fauces: inde ad laryngem: ab hoc ad arteriam asperam: à quâ tandem ad bronchia pulmonum vehitur. *Cap.4.*

61. Cùm igitur nasus non solùm respirationi, sed etiam olfactui famuletur, necesse est, ut morbo affectus efficiat, quò odores vel deteriùs, vel planè non sentiantur. *Cap.4.*

62. Morbi, qui tollunt, minuunt, aut corrumpunt olfactum, varias occupant partes: v.g. meatum nasi, membranam ejus internam, ossa colatoria, processus cerebri mammillares, & cerebri ventriculos anteriores: súntque vel intemperies: vel obstructiones: vel continui solutiones: sicut & in sensoriis visus, auditus, & gustûs. *Cap.4.*

63. Meatum nasi afficiunt obstructiones, quæ impediunt, quò minùs odores ferantur ad olfactus organum. Fiunt autem obstructiones à vehementi percussione, sive cõtritione: à polypo: aut alio quopiam tumore p. n. *Cap.4.*

64. Idem obstructionis morbus obsidet etiam ossa colatoria, quæ sunt cribri in modum foraminulenta, ob id cribriformia appellata. Item, cerebri processus, qui dicuntur mammillares, cerebríque ventriculos anticos. *Cap.4.*

65. Non tantùm verò obstructio, sed & intemperies istos cerebri ventriculos, & processus, spiritúsq; ejus occupat in catarrhis, gravedinibus, & oppletione ventriculorũ, quæ vel à calore, vel à frigore, vel ab humore aliquo facta. *Cap.4.*

66. Imò verò & harum partium, tùm compressiones, tùm sectiones olfactum, aut difficilem reddunt, aut prorsùs abolent. *Cap.4.*

 67. De-

67. Depravatus autem, ac velut errans olfactus fit, ob vitiosum aliquem humorem in naso contentũ, qui fœdum exhalando odorem vapores, qui à vicinis corporibus ad olfactus organum feruntur, corrumpit: quemadmodum accidit in ozænâ, putrido narium ulcere, ex quo putridus emergit odor, qui vapores à rebus etiam fragrantissimis elatos depravat. *Cap.4.*

68. Estque depravatus iste olfactus similis depravato gustui, quo, qui icterici sunt, laborant. Ut enim hi omnia, etsi dulcia sint, amara putant: sic illi, licet res odorentur fragrantissimas, illas tamen fœtidas arbitrantur: quia ob organi corruptionem tales eas percipiunt. *Cap.4.*

69. *De causis symptomatum*, quæ iis observantur in sensibus, qui in certis & peculiaribus, sive propriis fiunt animantis particulis, dissertatum est hactenùs. *Superest, ut dicatur de causis symptomatum, quæ eo in sensu accidere consueverunt, qui omnibus partibus sentientibus communis est, & ἁφὴ, Tactus nominatur. Cap.5.*

70. Quemadmodum verò in cæteris sensibus tria fiunt symptomatum genera: abolitio, diminutio, & depravatio: ita totidem etiam in tactu eveniunt: tactus scil. abolitus, diminutus, qui & difficilis ac imbecillis vocatur: & depravatus. Quæ tamen symptomata non possunt propriis exprimi nominibus: sed duntaxat communibus. In visu quidem symptomata hæc proprias sortita sunt appellationes: & dicuntur τυφλότης, cæcitas: ἀμβλυωπία, visus hebetudo, sive obscuritas: & παρόρασις, hallucinatio. In auditu κοφώτης, surditas: βαρυκοΐα, auditûs gravitas, sive difficultas: & παράκουσις, ἢ παρακοὴ, ἢ παράκουσις, corrupta & depravata auditio. Nil enim refert in præsentiâ, quibus quis nominibus utatur. *Cap.5.*

71. At αἱμωδίας nomen & symptoma tactus est peculiare. Fit autem potissimùm in ore ac dentibus, ob esum acidorum

dorum acerborúmſq; ciborum. Νάρκη, *ſtupor*, affectus eſt cõpoſitus ex δυσαισθησία & δυσκινησία. Accidit corpori toti: præcipuè verò artubus. Cauſas habet, vel externas: v.g. frigus, compreſſionem nervoſorum corporum, & cõtactum piſcis marini, qui torpedo nuncupatur: vel internas: ut vitam deſidem & ignavam: quæ crudorum humorum, ſtuporem ſubinde generantium, ferax eſt: copiam ciborum, vel craſſorum, vel lentorum; qui nervos obſtruunt, ſpiritúſque animalis affluxũ impediunt: deniq; prægreſſam ſolitæ alicujus vacuationis ſuppreſſionem: v.g. menſium, hæmorrhoidum, alvi dejectionis, vomitus &c. Tùm quippe ſupervacua quæ ſunt, ad loca nervoſa transferuntur. *Cap.5.*

72. Cauſa ergò *ſtuporis* συνεχὴς, ἢ συνεκτικὴ, ἢ προσεχὴς, aut quomodocunque quiſpiam eam nominare velit, eſt talis aliquis affectus in nervo, ut ſentiendi movendíque facultatem à cerebro demiſſam impedire poſſit. *Cap.5.*

73. Nervus autem duplex eſt: vel enim πόρον, cavitatem & meatum habet: quemadmodum ἐναργῶς, manifeſtè & evidenter in optico apparet: vel non habet. Si habet, facultas ſentiendi & movendi bifariam impeditur: nimirùm δι' ἔμφραξιν, propter obſtructionem: & διὰ θλίψιν, compreſſionem. Si non habet, trifariam: I. διὰ πίλησιν, propter conſtrictionem. II. διὰ ψύξιν, propter frigus. III. διὰ θλίψιν, propter compreſſionem. *Cap.5.*

74. Quòd hæc omnia animalem impedire poſſint facultatem, notius eſt, quàm ut pluribus probari debeat.

75. Sed hoc fortaſſis facilè aliquis in nervis, qui ἐναργῶς cavi ſunt, & πόρον habent, conceſſerit: nequaquam autem in iis, qui πόρῳ carent. Ideóque iſtud confirmandum eſt. *Cap. 5.*

76. Si ſubſtantia nervi craſſior facta ſit, facultas à cerebro per nervum tranare nequit. Declarari hoc poteſt aquæ & aëris exemplo. Nam quemadmodum Solis radii per aë-

rem nebulosum, ac nubibus obductum, fumóq; obscuratum, aut aquam cœno, limove turbatam, ob medium crassius, transire nequeunt: sic quoque facultas animalis per nervum nimis crassum ac durum permeare non potest. *Cap. 5.*

77. Fit autem crassior, vel à crassis lentísque humoribus, quibus alitur: vel à vehementi frigore, quo constringitur. *Cap. 5.*

78. Constringitur autem, comprimitur, coarctatúrque nervus non solùm à frigore: verùm etiam à rei duræ, ejúsq; externæ, innixu; & sic ne tùm quidem expeditum transitum præbet. Hujus generis sunt, constringentes laquei & manus, & comprimentes tumores partiũ nervo vicini: phlegmone scil. atq; scirrhi. Ossa item luxata & fracta. Hæc quippe omnia arctiores reddunt nervos, comprimendo coarctandóque. *Cap. 5.*

79. Per hosce affectus nervi principiò quidem fiunt ναρκώδεις, stupidi: posteà verò omninò & sensûs, & motûs expertes: vocatúrque hoc ipsorum vitium παράλυσις, resolutio. *Cap. 5.*

80. Hæc quanquam γένει, genere cum stupore conveniat: μεγέθει tamen, magnitudine ab eodem differt. Nam in stupore est tantùm sensus & motus difficultas: in παραλύσει autem omnimoda privatio. *Cap. 5.*

81. Est autem nervorum origo cerebrum, & spinalis medulla. Proinde *omnibus totius corporis nervis resolutis*, illicò totum corpus, & sensu, & motu privatur: vocatúrque malum istud ἀποπληξία: quæ, quia respirationem tollit, celerrimam mortem adfert. *Læso autem spinalis medullæ principio*, motus & sensus tantùm in capite manet: quia septem paria nervorum, à cerebro originem ducentium, minimè resoluta sunt. *Læso cerebro*, omnes ex eo nati nervi læduntur; ideóque sensus & motus in omnibus partibus tollitur.

Læsâ

Læsâ ſpinali medullâ infra exortum eorum nervorum, qui thoracem movent; idque vel quia vertebra aliqua luxata: vel quia aliâ ratione affecta: tùm, ſiquidem malum magnum ſit & vehemens, omnes inferiores partes, & motu, & ſenſu privantur. Sin levius, ſtupidi fiunt homines; non tamen moriuntur: eò quòd reſpiratio ſervetur. *Læsâ ſpinali medullâ juxta vertebram quintam*, manus ſenſum & motum amittunt. *Læsâ juxta ſextam*, non omnes primæ brachij partes manent illæſæ. Multóque minus, ſi *ſpinalis medulla circa ſeptimam vertebram* laboret. Quodſi verò *circa octavam affligatur*, quàm minimùm læditur. Nullam verò noxam manus ſentiet, *ſi medulla ſpinalis poſt octavam* malè habeat. At verò vox perit, quibus *ſpinalis medulla in cervice* ægrotat: verùm id non in omnibus ſpinæ vertebris. Cognoſcenda hæc ſunt ex doctrinâ de nervorum divaricatione. Nam quarum partium nervi affecti ſunt, eæ ipſæ etiam defectum in motu & ſenſu patiuntur. *Cap.5.*

82. Sed quæ cauſa eſt, inquies, quòd interdum ſenſus maneat, & aboleatur motus: & contrà, ſenſus pereat, illæſo motu? Reſpondet *Galenus*, *ſi partes per unum & eundem nervum ſenſum & motum habent*, neceſſe eſſe, ut illius nervi morbum ſenſus ſimul ac motus amiſſio ſequatur. *Si verò pars aliqua duplici nervorum genere ſit prædita*, ita ut alius motum, alius ſenſum præbeat, quemadmodum duplex iſtud nervorum genus deprehendimus in linguâ & oculis: nullam quæſtionis in reddendâ cauſâ eſſe perplexitatem. Nam cùm duplex nervorum genus obtineat: unum quidem ſenſui: alterum verò motui deſtinatum; priore læſo, perit ſenſus: poſteriori affecto, motus amittitur. *In illis autem partibus, in quibus duri duntaxat nervi ſunt*, hunc in modum diſtinguit. Si ablatâ cute ſubjectus muſculus, qui nudus eſt, immobilis appareat: tangentes autem ſentiat, noxa illi contigit exigua. Tantum quippe animalis facultatis ſuſcipit,

quan-

quantum ad sentiendum satis est: ad movendum verò nequaquam. Cùm enim sensus in patiendo, motus verò in agendo consistat, plus facultatis ad motum musculi, quàm ad sensum requiritur. At nunquam accidere deprehendes, ut nudus musculus moveatur, sensu verò privetur. Si verò musculus nudus non sit, sed cute tectus, fieri potest, ut moveatur: nihil autem sentiat. Ratio est: quoniam nervus, qui ad cutem pertinet, laborat: qui ad musculum, nequaquam. Sensus ergò perit, & motus manet. Eadémque ratio est, si duorum musculorum alter moveatur, alter verò immobilis sit: aut alter sentiat, alter sensu careat. Cujus enim nervus illæsus est, is moveri & sentire potest. Cujus læsus, has functiones amittit. *Cap.5.*

Tractatio nis membrum secundum. 83. DICAMUS *modò de causis voluptatis, sive delectationis, & doloris sensuum.* Omnes enim voluptate & dolore afficiuntur: non tamen ὁμοίως ἐναργῶς, æquè evidenter. Nam πάθεα hæc minimùm (ἥκιστα) in visu accidunt. In tactu & gustu sunt evidentissima. Minùs in olfactu & auditu: magis tamen, quàm in visu. *Cap.6.*

84. Causa duplex est: una communis omnium sensuum: altera singulorum propria.

85. *Communem* tradit *Plato in Timæo.* Sic enim ille. Quicquid corpus nostrū è suo statu naturali βιαίως καὶ ἀθρόως, violenter & confertím mutat, id dolorem parit. Quicquid autem ad naturalem statum confertim redit, jucundum est & suave, voluptatémque adfert. Communis ergò de *Platonis* sententiâ omnis doloris causa, est violenta & cōfertim facta à naturali statu mutuatio. Contrà, voluptatis causa communis est, reditus à non naturali ad naturalem statum confertim factus. *Cap.6.*

86. Hanc eandem causam dat etiam *Hippocrates*, *Platone* vetustior, quando *lib. de hom.* scribit: his quibus natura mutatur, & corrumpitur, dolores excitantur. Hac enim voce, cor-

ce, *corrumpitur*, & celeritatē, & vehementiam mutationis, quæ ad doloris generationem requiritur, indicat. *Cap.6.*

87. *Propria* verò *causa doloris* in TACTU varia est. I. Violentus caliditatis & frigiditatis occursus. Hæ enim qualitates vehementer alterant: quia valdè sunt efficaces, & ad agendum maximè aptæ. II. res contundentes, secantes, extendentes & erodentes. Humiditas & siccitas, cùm per se solæ violenter & confertim non agant, haud videntur dolorem parere posse. *Cap.6.*

88. Cæterùm, utraque quidem qualitas, tùm caliditas, tùm frigiditas, dolorem & voluptatem creat: sed non uno eodémque modo. Nam moderata frigiditas, quòd cogat, cōtrahat, & condenset, nōdum autē convellat, molesta non est: sed amica & jucunda. Caliditas verò, quoniam quod in corpore concretum est, liquat, voluptatem efficit. Contrà, frigiditas divellendo doloris causa est: caliditas autem dissolvendo erodendóq; continuum. *Cap.6.& l.4.simpl.c.1.*

89. Quæ contundunt & tendunt, ideò dolorem excitant, qüia corporibus rupturæ adferunt periculum, & continuum solvunt: quo nomine etiam quæ pungunt & secant dolorem inferunt.

90. Hæc autem omnia non inferunt dolorem, nisi dùm fiunt. Nam cùm facta sunt, nequaquam dolorem inferunt: nisi per accidens, interventu vel acrium calidorúmq; humorum, qui ad partem ulceratam, aut vulneratam accurrunt, eámq; mordent: vel phlegmones, quæ partem undiquáque distendit. Tùm enim non ruptionis, aut sectionis causâ: sed potius humorum & phlegmones ratione dolor excitatur. *Cap.6.*

91. GUSTUS *instrumentum, Lingua*, consideratur bifariam. I. quatenus tactu participat: II. quatenus proprium gustûs est ὄργανον. Primâ ratione dolet & contristatur, quando à causis jam expositis, caliditate scil. & frigiditate, rebus

item contundentibus, rumpentibus, ſecantibus & erodentibus divellitur. Alterâ moleſtatur à rebus amaris, acidis, acerbis, & acribus. Horum enim ſingula cõtinuitatem diſtrahunt ac divellunt. *Cap.6.*

92. OLFACTUM infeſtant & moleſtant, qui à prædictis ſuccis exhalant vapores: eò quòd & ipſi continuum ſolvant. *Cap.6.*

93. AUDITUM contriſtant & turbant vox aſpera, magna & admodum velox. Quæ tria cùm in terribiliſſimo tonitru concurrant, nonnulli omninò auditûs ſenſu privati ſunt. Soni namque violentiâ auditûs ὄργανον divulſum eſt. *Cap. 6.*

94. VISUM offendunt & corrumpunt maximi ſplendores: eò quòd plurimùm diſcriminent & ſecernant. Atqui ſecretio ex genere dividentium eſt. *Cap.6.*

95. Ex his liquet, in omnibus ſenſibus cõmune aliquod πάθος eſſe infeſtans, quod ex continui corporis diviſione ac ſecretione excitatur, ubi ſcil. ἀθρόως incidit: h. e. vehementer & ſubitò. Id quod etiam *Platonis* & *Hippocratis* verba, ſuprà allegata, ſatis confirmant: quæ teſtantur, ſenſum moleſtum, triſtantem, cruciantem, laborioſum, ſeu dolorificum, à pathemate violento ac repentino proficiſci. *Cap.6.*

96. *Atq; hæ ſunt cauſæ doloris in ſenſibus. Videamus voluptatis & delectationis. Cap.6.*

97. Sunt autem dictis contrariæ: quia & ipſum πάθος, Voluptas, priori, ipſi ſcil. dolori, contrarium eſt. Nam ſi id, quod periculum ſubit divulſionis, h.e. eò pervenit, ut divellatur, & continui patiatur ſolutionem, confertim ad ſtatum redeat naturalem, voluptatem & delectationẽ parit. *Cap.6.*

98. Declarari hoc poteſt in omnibus ſenſibus, & primùm quidem in VISU. *Cap.6.*

99. Jucundiſſimum oculis ſpectaculum eſt τὸ κυανοῦν, quod eſt

eſt *cœruleum:* maximè verò dolorificum, *τοτε λαμπρον ϰ λευϰὸν*, quod *ſplendidum* eſt & *album*, ut Sol. *Cap. 6.*

100. Secundum locum inter colores, qui viſum delectāt, *fuſcus* tenet, quem Græci *φαιὸν* appellant: inter eos verò, qui eundem contriſtant, *albus*. Hic quidem, quia viſum *διακρίνει ϰ διαλύει*, ſegregat & diſſolvit: is verò, quoniam eundem *ἀβιάςως συνάγει*, citra violentiam cogit. *Ἀβιάςως* dicimus, propter colorem nigrum, qui quidem & ipſe viſum cogit: ſed *βιαίως*, violenter: ideóque non, ut fuſcus, viſui jucundus eſt. *Cap. 6.*

101. Quod ***nigerrimum*** eſt, minùs viſum infeſtat, quàm quod eſt ***ſplendidiſſimum.*** Cauſa eſt, non quòd contrarium, hoc eſt nigerrimum, minùs triſte ſit, quàm ſplendidiſſimū, quod viſui eſt *συγγενὲς*, cognatum. Nam cùm contrarium ſit, moleſtum quoque ac triſte ſit oportet. Sed propterea, quòd visûs *ὄργανον* ſit ſplendidum: omnis autem ſplendor ſit tenuis ſubſtantiæ: nigrum verò partium craſſarum. At *ἐν τῇ φύσει δραςικώτερόν ἐςι τὸ λεπτομερὲς τοῦ παχυμεροῦς*, naturâ comparatum eſt, ut quod tenuium eſt partium efficacius ſit eo, quod eſt partium craſſarum. Id enim ad intima quæq; penetrat: hoc contrà in ſuperficie hæret. Sic Sol, licet ſplendore ſuo viſui ſit cognatus; tamē noxam illi infert celerem: quoniam *λεπτομερὴς*, ac propterea etiam *δραςικὸς*. Nam breviſſimo tempore à Solis ſplendore lædimur: quoniā ab ejus ſplendore excellenti visûs acies ſtatim diſſipatur. Non ſic vero à tenebris. In ijs enim diutiùs aliquem verſari oportet, priuſquā parem noxam viſui inferāt. Senſim quippe & paulatim viſus in profundis tenebris craſſior obſcuriórque redditur, aut planè extinguitur. *Cap. 6.*

102. Ex quibus patet, cœruleum colorem viſui jucundiſſimum eſſe, maximéq; utilē: verùm non illi, qui à Sole eſt diſſipatus: huic enim, utpote *νοσοῦντι*, ægrotanti, contrarium potius eſt remedio. Ei vero, qui *ὑγιαίνει*, ſanus eſt, ſed fati-

gatus, color cœruleus, aut fuscus, spectaculum est saluberrimum. Non enim visum segregat, ut albus & splendidus: nec violenter cogit atque extinguit, sicuti niger. *Cap.* 6.

103. Sunt autem fuscus & cœruleus medij moderatíq; colores, qui secundum *Platonis* sententiam ex contrarijs extremísque invicem mixtis nascuntur. Et fuscus quidem ex albo & nigro compositus est; cœruleus autem ex albo & splendido, tùm coëuntibus, tùm in plurimum nigrum incidentibus. Nam si splendidum adjungatur albo, & plurimâ obfundatur nigredine, cœruleum colorẽ gignit. *Cap.* 6.

104. Et sic quidem voluptas & dolor in visu se habent. Ubi tamen obiter notandum, voluptatem, sive delectationẽ, quæ à coloribus provenit, non perinde, ac in cæteris sensibus, evidentem esse: eò quòd neque dolor æqualis sit, h. e. non tantus, quantus in reliquis sensibus percipitur. Causam *Galenus* refert ad λεπτομερείαν τῆς ὄψεως; quia visio multò est tenuior, &, ut sic loquamur, minùs corporea, quàm reliquorum sensuum actio. Quare, etsi in visione dolores magni esse possint: tamen aliorũ sensuum collatione multò censentur remissiores: illi præsertim, qui à segregantibus & cogentibus coloribus proficiscuntur. A segregantibus namq; vim nullã patitur visus, propter essentiæ cognationẽ. Suâ enim sponte in id fertur, quod illi noxam illaturum est, nimirùm ad lucidum, splendidúmve, ac dissipantem colorem. Est quippe, ut antè dictum, visûs ὄργανον splẽdidum ac lucidum. Non ergò à segregantibus noxam patitur notatu dignam, ob naturæ suæ cum eo, quod segregat, similitudinem & convenientiam. A cogentibus verò, etsi paulò majorem, quàm à dissipantibus dolorem sentiat: tamen, cùm ea, quæ cogunt, crassarum sint partiũ, ob suæ transmutationis infirmitatem vehementem dolorem inferre nequeunt. Tenue namque à crasso debiliter cogitur. *Cap.* 6.

105. *Perga-*

105. *Pergamus ad ea, quæ* AUDITUM *oblectant & lædunt.*

106. Ea verò sunt *voces* & *soni*. Et auditum quidem vehementer delectat vox λειοτάτη, leniſſima, & βραδυτάτη, tardiſſima: lædit verò huic contraria, nempè τραχυτάτη καὶ ταχίςη, aſperrima & velociſſima. *Cap.6.*

107. Et ſunt quidem *ſano* auditui tales voces jucundæ ac moleſtæ. *Defatigato* autem præter lenem & tardam parva quoque amica eſt & grata. *Aegrotanti* jucunda eſt, quæ leniſſima, tardiſſima, & minima. Gratius adhùc ſilentium eſt. Hoc enim proportione quadam tenebris reſpondet: quæ ſicuti viſui laboranti jucūdæ ſunt, ſic & ſilentium malè affecto auditui. *Cap.6.*

108. Quæ OLFACTUM voluptate quadam ac dolore afficiunt, *odores* ſunt. Ut autem voluptas in auditu evidentior eſt, quàm in viſu: ſic adhùc in olfactu, guſtu & tactu manifeſtior eſt, quàm in auditu. Ratio eſt; quia ſenſus inferiores craſſioris ſunt eſſentiæ, quàm ſuperiores. Eſt enim *Viſus* ſenſus αὐγῆς, ſplendoris: *Auditus* ἀέρος, aëris: *Olfactus* ἀτμȣ̃, vaporis: *Guſtus* ὑγρᾶς ȣ̓σίας, eſſentiæ humidæ: deniq; *Tactus* ςερεȣ̃ σώματος, corporis ſolidi. At ſplendor ſubtilior is naturæ eſt quàm aër: aër quàm vapor: vapor quàm humor; quia vapor ὑγρὸν eſt λελεπτυσμένον, humor extenuatus: humor quàm corpus ſolidum. *Cap.6.*

109. Agit autem *Galenus* de *Olfactu* & *Guſtu* ſimul: quia dicit, ſenſus eſſe ὁμογενεῖς, cognatos: & Olfactum á Guſtu eſſentiæ ſolùm tenuitate differre arbitratur. *Cap.6.*

110. GUSTUS ergò, vel κατὰ φύσιν ſe habet: vel eſt κεκακώμενος, nuper aliquid vitij contraxit: vel νοσέει, ægrotat. Κατὰ φύσιν ἔχοντι jucundiſſimi ſunt ſucci dulces & pingues. Sunt enim οἰκειότατο τῇ τȣ̃ σώματος ȣ̓σίᾳ, eſſentiæ corporis maximè familiares: quia temperati. Reliqui, quia á temperie longiùs abſunt, ut amari, acres, ſalſi, acidi, & acerbi, eidem moleſti ſunt atq; ingrati. Κεκακωμένῳ amicus eſt ſuc-

cus pinguis, si vitium contractum sit in asperitate. Hanc e-nim præ cæteris lenit. Νοσέονῃ appropriati sunt, qui causis morbificis contrarij sunt: crassis v. g. attenuantes; tenui-bus incrassantes: lentis dissecantes: exasperantibus lævigan-tes: calidis frigidi: frigidis calidi: siccis humidi: humidis sic-ci: de quibus dictum *l.4. simplic. Cap.6.*

111. Cæterùm, natura horum saporum judicium linguæ commisit proptereà, quia ijs delectatur succis, quos Ventri-culus requirit. Cujus consensûs causa est tunica, quæ lin-guam investit. Ventriculus vicissim venis ac visceribus in-servit. Tales enim succos appetit, quales venæ ac viscera postulant. *Cap.6.*

112. OLFACTUS instrumentum odores insuaves quidem ac molestos sentit: suaves autem & jucundos, perinde atque Visus & Auditus, nequaquam. Tenui enim constant essentiâ: ideóque nullum in se validum patiuntur pathema. Tactus verò & Gustus, quanquam ne ipsi quidem vehemens aliquid in se sentiant: tamen exi-guum tale aliquod πάθημα interdum patiuntur. Gustus quidem à dulci pituitâ, in linguâ contentâ, quám *Praxago-ras* & *Philotinus* dulcē succum nuncupârunt: Tactus verò motum in se non rarò sentit, cùm ad naturam suam redit, ijs, quæ ipsum intrinsecùs exasperabant, vel concoctis, vel sensibiliter insensibilitérve evacuatis. Quin etiam, qui lassitudine laborant, posteaquā mollibus frictionibus, aut balneis corpus emollitum fuerit, quiescunt, evidentem vo-luptatē percipiunt. Hâc autē afficiuntur magis inter frican-dū & lavandum. Neq; verò lassatæ solùm partes lotionibus & mollibus frictionibus delectantur plurimùm: sed etiam eæ, quæ vehementer dolent, ex molli duntaxat, blandâ le-viq; attrectatione haud parvum sentiunt solatium. *Cap 6.*

113. TACTUM oblectant ea omnia, quorum beneficio ad naturalem revertitur habitum. Fit autem reditus iste per ea, quæ causis dolorificis sunt contraria: dummodò, con-

trari-

trarium quis accipiat, pro ut decet. Sic vero accipiet, si id intelligat, quod primùm & per se, nullóque alio interveniente sanationis causa est: non quod προκαταρχον̃, ἢ προκαταρκτικῆς αἰτίας rationem obtinet. *Cap.6.*

114. Monere nos hoc voluit etiam *Hipp. aphor.21.s.5.* ubi scribit, frigidę multæ perfusionem tetanum in juvene εὐσάρκῳ, æstivo tempore, curare. Quæ verba si quis inconsideratiùs perpendat, putabit, affectum p.n. aliquando per similia sanari; v.g. tetanum largâ frigidæ perfusione. Verùm res secus se habet. Addit enim *Hipp.* hanc perfusionem calorem revocare: calorem verò tetani causam solvere. Quibus verbis *Hipp.* duplicem sanati tenati causam innuit; unam internam, calorem; alteram externam, frigidæ perfusionē. Dispiciendum ergò, utra illorum contrarium sit, per quod tetanus curatur. Omnia namq; ad naturalem habitū reducuntur per contraria. Non est autem contrarium istud per ꝙ tetanus tollitur, προκαταρκτικὴ causa, frigidæ perfusio. Hæc enim non πρώτως, καὶ καθ' ἑαυτὴν, tetanum sanat: sed δι' ἑτέρου μέσου, interventu scil. caloris nativi: quem frigidæ perfusio constrictâ densatâq; cute partim repercutit: partim verò difflari non sinit. *Cap.6.*

115. Reditus ergò ad statum naturalem si ἀθρόως fiat, sanatio perficitur cum voluptate. Sin κατὰ μικρὸν, paulatim, ἀναίσθητος est, & sensu haud percipitur. Eadémque ratio est lapsûs à naturali statu ad præternaturalem. Si enim fiat ἀθρόως, violentus est & dolorificus. Sin κατὰ μικρὸν, ἀναίσθητος. *Cap.6.*

116. Genitales partes proprium quid & eximium patiuntur: propterea quòd validissimâ præditæ sint facultate: in masculis quidē expultrice seminis: in fœminis autē, & hâc, & attractrice uteri. Voluit enim natura, ut excretio seminis in maribus, & conceptio in fœminis, seminísque masculini attractio, ingenti cum voluptate esset conjuncta. *Cap.6.*

117. Quem-

117. Quemadmodum verò voluptas insita est genitalibus eximia: sic molestia, quæ ex redundante ac retento semine oritur, paulatim ac multo tempore increscit. Quare, licet vehementer infestet, cùm major sit vitiato semini vis ad inferendam noxam, quàm menstruo, veluti *l.6.loc.aff.c.5.* expositum: tamen à magnitudine voluptatis, quæ fit in συνεσίᾳ connubiali, vincitur. Cùm verò semen, quod molestat, expellitur, quantò celeriùs ad statum naturalem perficitur reditus, tantò etiam major nascitur voluptas.

Tractationis membrum tertium. 118. *Sequuntur symptomata, quæ os ventriculi, quod καρδίαν appellant*, afficiunt. Nam & hæc ad tactum pertinere videntur. Nulla quippe pars est, quæ ita exactè sentiat, aut æquè utrumq; principium, Cor & Cerebrum, unà secum affligat, ac orificium istud: quod Medicis etiam στόμαχος dicitur. *Cap.7.*

119. Infert autem orificium ventriculi symptomata hæc, vel κατὰ συμπάθειαν: vel αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ.

120. Κατὰ συμπάθειαν quidem συγκοπὰς στομαχικὰς, καρδιαλγίας, δυσπνοίας, ἀπνοίας, δήξεις, sive morsus, ἐπιληψίας, παρακοπὰς, sive deliria, & μελαγχολίας. Αὐτὸ verò καθ' ἑαυτὸ ἀνορεξίας, δυσορεξίας, καὶ μοχθηρὰς ὀρέξεις, h. e. appetitus depravatos. *Cap.7.*

121. Vocantur ἀνορεξίαι, cùm quis nil omninò appetit. Δυσορεξίαι, quando ἀμυδρῶς, debiliter appetit. Μοχθηραὶ ὀρέξεις, ubi vel nimis largam cibi ac potûs quantitatẽ appetit: vel alienã & peregrinam eorum qualitatẽ appetit. *Cap.7.*

122. De horum ergò symptomatum causis ordine nunc dicendum: primùm quidem de propriorum: mox illorũ, quæ orificium stomachi κατὰ συμπάθειαν infert. *Cap.7.*

123. Sunt autem propria illius symptomata, uti dictum, appetitus abolitus, diminutus, & depravatus: quorum causæ, ut rectiùs & faciliùs cognoscantur, *Galenus* & naturam appetitûs ac famis, & quo modo ac ratione excitentur, priùs exponit.

124. Est

124. Eſt autem modus generationis iſte. Quodlibet, inquit, animal ob calorem reſolventem & diſcutientē in perpetuo eſt ſubſtantiæ ſuæ fluore, & per cutem in ambientem aërem digeritur ac diſſipatur. Quo fit, ut partes, quæ ſub cute latent, vacuentur, & facultate, quam ſibi habent ingenitam, alimentum trahant ex partibus vicinis; ut reparetur, quod eſt exhauſtum. Hæ autem rursùs ex ſibi proximis alimentum alliciunt: & iſtæ ſimiliter ex alijs: idq; ſerie continuâ, donec vacuatio pervenerit tandem ad venas ventriculi, quæ nutrimentum ſugere ſolent ex ventriculo, quemadmodum ſtirpium radices ſuccū ex viſceribus terræ eliciunt. Nam cùm appetitus iſte & tractus non animalis, ſed naturalis ſit, haud aliter in animalibus, quàm ſtirpibus perficitur. Etenim terra, ſi anni tempora κατὰ φύσιν ſe habuerint, perpetuò, ventriculi in modum, ſuccum in ſe habet, quem plantis ſuppeditet. Quodſi is ob ſiccitatis exceſſum exaruerit, plantæ ob alimenti defectum marceſcūt. Par ratio animalium eſt. Illis quippe natura ventriculum, veluti ταμεῖον τροφῆς, cibi promptuarium, eſt largita. Indidit autem & penuriæ ſenſum, ut animalia ad cibum potúmq; excitentur, & in tempore impleantur: vocatúrq; hoc implendi deſiderium, ὄρεξις: fitque à penuriæ ſenſu: cùm venæ ex ipſo ventriculo velut emulgentes ſugentéſque trahunt. Ventriculus autem hujuſmodi ſuctionem non ferens, ſed tanquam διασπώμενος, divulſus, moleſtiæ hujus remedium exquirit, cibum: eóq; exhibito, venæ ad illum cōvertuntur, atque ex ipſo, quod ſibi familiare eſt, trahunt. Poſtquam verò venæ, quod ſatis eſt, ex ingeſto cibo ad ſe attraxerunt, ventriculus, quātum priùs à venis exhauſtum eſt, ad ſe trahit: quem tractum ſuctionis ſenſus ſequitur, qui non eſt, niſi fames. Ex quibus apparet, in appetitûs generatione, quinq; ſymptomata excitari, quæ ſe invicem ordine quodam ſequuntur. I. eſt κένωσις, vacuatio, ſive exhau-

ſtus partium. II. ὄρεξις φυσικὴ τῶν κενωθέντων μορίων, appetitus naturalis vacuatarum partium. III. Μύζησις τῆς κοιλίας, ventriculi ſuctio. IV. αἴσθησις τῆς μυζήσεως, ſuctionis ſenſus. V. ὄρεξις ψυχικὴ, appetitus animalis. *Cap.* 7.

125. Cognitâ famis & appetitûs generatione, ſymptomatum ejus cauſæ reddendæ ſunt. Fertur autem appetitus, vel ad cibum, vel ad potum. Utriuſq; verò, aut nullus, aut diminutus, aut corruptus ac depravatus eſt appetitus. *Cap.* 7.

126. Nullus cibi appetitus eſt in ἀνορεξίᾳ: diminutus in δυσορεξίᾳ: depravatus in ὀρέξει μοχθηρᾷ. *Cap.* 7.

127. Ἀνορεξίας cauſa triplex eſt. I. quia ſuctionis ſenſus perijt. II. quia ſuctio non fit. III. quia corpus non vacuatur. *Cap.* 7.

128 Δυσορεξίας cauſæ ſunt eædem; ſed non tàm fortes & vehementes. *Cap.* 7.

129. Μοχθηρᾶς ὀρέξεως cauſæ duplicis ſunt generis: quia hæc ipſa quoque ὄρεξις duplex eſt: altera κατὰ τὸ ποσὸν ὑπερβάλλουσα, ἢ ἄμετρος, quæ peccat in nimiâ ciborum copiâ; altera τῶν ἀλλοκότων, ἢ μοχθηρῶν ποιοτήτων, quæ eſt peregrinarum & pravarum qualitatum. *Cap.* 7.

130. Μοχθηρὰ ὄρεξις, depravata appetentia, quæ modum in ciborum quantitate excedit, & à quibuſdam κυνώδης, canina vocatur, cauſam agnoſcit duplicem: acidorum humorum vitium, & plurimam per totum corpus vacuationem: quæ rursùs vel ob caloris robur: vel ob retentricis imbecillitatem facta. Ex quibus retentricis quidē imbecillitas efficit, ut ingeſtorum ciborum multa fiat dejectio: caloris verò vehemētia in causâ eſt, ut, cùm per eam habitus corporis inſigniter vacuetur, cibus per corpus diſtribuatur. *Cap.* 7.

131. Quòd autem acidus humor appetitum immodicè excitet, inde patet: quia frigidus eſt. At frigiditas morſum ſuctioni reſpondentem inducit. *Cap.* 7.

132. Propter eandem frigidam qualitatem idem humor etiam

etiam cibi, non potûs parit appetentiam. Salsi enim, aut biliosi humores ventriculum occupantes sitim potiùs, quàm famem creant: idque duabus de causis. I. quia ventriculum calefaciunt & siccant. II. quia succos in ventriculo & venis contentos fundunt: quâ fusione factâ, partes, ejusmodi humores continentes, implentur. *Cap. 7.*

133. Quemadmodum verò nimia frigiditas constringendo vacuat: sic immodica caliditas fundendo implet. Quare, haud parum ad famem non naturalē, qualis canina est, excitandam frigus in ventriculo confert. Nam & vacua reddit corpora: & tunicas ipsorum cogens constringénsq; appetentiam excitat. Contrà, calor appetitum destruit, tribus de causis. I. quia solida corpora resolvit ac relaxat. II. II. quia eadem ad tractum reddit imbecilliora. III. quia humida corpora fundendo supra modum extendit, atque adeò implet, non vacuat. *Cap. 7.*

134. Μοχθηρὰ ὄρεξις, quæ est ἀλλοκότων ποιοτήτων, causam habet pravum aliquod excrementum, quo ventriculi tunicæ sunt imbutæ. Appellatur hoc symptoma κίττα, pica: & accidit aliquando viris, cū vitiosus humor orificio ventriculi est impactus. Frequentius autem mulieribus gravidis, pravis humoribus refertis cōtingit. Appetunt enim acida, & acerba: nonnunquam & acria: interdum terram cimoliam, testas, extinctos carbones, absurda edulia alia. Elaborant complures earum hoc vitio usque ad mensem imprægnationis secundum, aut tertium. Quarto absurda appetere cessant: partim quòd noxius humor vomitione sit rejectus: partim quòd tempore concoctus: cum gravida ob fastidium parum cibi sumserit: partim etiam, quòd plenitudo à fœtu ipso diminuta. Primis quippe duobus mensibus fœtus, utpotè adhuc minimus, adeò ut nondum ἐμβρύου, fœtûs, sed duntaxat κυήματος, conceptûs nomen mereatur, parum sanguinis ad se trahit. Ter-

tio verò quartóq; major existit, ac propterea largiore indiget alimento. Itaq; tùm non solùm quod in venis est optimum ad se rapit, ut anteà: sed quia majorem alimenti copiam postulat, simul aliquid vitiosi attrahit. Quo fit, ut totū corp⁹ matris plenitudine laborare desinat, minúsq; vitioso succo infestetur. Evadit autem fœtus in ejusmodi matre, quæ *κακοχυμίᾳ* scatet, & *κακοχυμότερ@*, & *δυσκρατώτερ@*, utpote vitioso nutritus sanguine; nisi mater reliquo imprægnationis tempore bonis cibis utatur. *Cap.7.*

135. *Hæc de causis symptomatum, quæ accidunt circa cibi appetitum.* Nunc de illis, quæ circa *potum* eveniunt.

136. Sunt autem tot in potûs appetentiâ symptomata, quot in cibi. Nam & iste appetitus triplex est: *abolitus, diminutus*, & *depravatus*. *Cap.7.*

137. *Abolitus* veluti *στέρησις*, privatio quædam est, cùm corpus nullâ eget potione: estq; similis anorexiæ ciborum. *Diminutus*, *ἐνδεὴς ὄρεξις*, analogus est dysorexiæ. *Depravatus* corrupto respondet ciborum appetitui: & eodem prorsùs modo dividitur: nempè in eum, qui est *ἀμέτρου πόματ@*, ac in quantitate peccat: & in illum, qui est *μοχθηρῶν πομάτων*, vitiosorum potuum, errátq; in qualitate. *Cap.7.*

138. Abolitio potionis duabus fit de causis: I. ob frigoris humorísque excessum. II. quia ventriculus suum *πάθ@*, h. e. potionis desiderium non sentit. *Cap.7.*

139. Diminutus, seu deficiens potionis appetitus accidit, ubi jam dictæ duæ causæ adsunt quidem: sed minùs sunt vehementes. *Cap.7.*

140. Depravatus *κατὰ τὸ ποσὸν* fit bifariam. I. cùm salsi, aut biliosi humores in ventriculi tunicis continentur. II. quando nativa in ventriculo humiditas quasi fervet. Tùm enim caloris vehementiâ sitis excitatur. *Cap.7.*

141. Depravatus *κατὰ μοχθηρὰς ποιότητας* causam habet humores vitiosos: pro quorū tamen varietate etiam depravatus iste potionis appetitus varius esse solet. *Cap.7.*

142. Hæc

142. Hæc ſymptomata ijs potiſſimùm accidunt, qui longo tempore pravo victu utuntur, ex eòq; ſibi malorum humorum copiam acervant. *Cap.7.*

143. Eſt autem depravatus potionis appetitus κατὰ τὸ ποτὸν adeò vehemens quandoque, ut expleri non poſſit. Proptereà hiſtoriæ teſtatum fecerunt, multos inexplebili ſiti vitam finijſſe. *Quidam* enim, quòd ἔχιδναν, viperam (erat aut forſan διψάς) devoraverit, & ſitim extinguere nequiverit, extinctus eſt. *Meſſores* aliqui, qui fortè fortuna vinum biberant, in quo tale aliquod animal fuerat ſuffocatum, præ ſiti obierunt. *Alius* vino veteri, eóq; meraco & præcalido, inebriatus, interijt ſitibundus. *Non nemo*, qui ἀσιτίᾳ καὶ ἀποσίᾳ mortem ſibi conſciſcere decreverat, obijt. *Nonnulli* in mari navigantes, & marinam aquam, quæ validè ſiccat, ob defectum aquæ dulcis, bibentes, expirârunt. *Quidam* deniq; καύσῳ laborans, eóque increſcente frigidam aquam ingurgitans, ſitim delere non potuit. Ideóq; vitam cum morte commutavit. *Cap.7.*

144. *Hæ ſunt cauſæ συμπτωμάτων*, quæ orificium ventriculi αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ infert. Dicamus de cauſis illorum, quæ idem κατὰ συμπάθειαν producit : ejuſmodi ſunt καρδιαλγία, βούλιμος, συγκοπὴ ϛομαχικὴ, ἐπιληψία, κάρος, κῶμα, κατάληψις, παραφροσύνη, μελαγχολία, ἀσφυξία, δύσπνοια, &c.

145. Καρδιαλγία ortum ducit ab humoribus mordacibus, ventriculi os, quod exquiſiti ſensûs eſt, moleſtantibus. *Cap.7.*

146. Βούλιμος naſcitur ex indigentiâ cibíque defectu, accedente imbecillitate, quæ ex refrigeratione orificij ventriculi contracta. *Cap.7.*

147. Καρδιαλγίαν verò λειποψυχίαι & καταπτώσεις, animi defectiones & viriũ lapſus conſequuntur, duabus de cauſis: I. ob ἀκρίβειαν τῆς αἰσθήσεως, exquiſitum oris ventriculi ſenſum. II. ob ἐγγύτητα τῆς θέσεως, vicinitatem ſitûs. *Cap.7.*

148. Cæterùm, non hæc modò symptomata affectum ventriculi orificium sequuntur: sed etiam alia: & longè quidem maxima, tùm cordis, tùm cerebri, si 4. causæ concurrant. I. si infestans stomachum affectus fuerit validus. II. si sensus ejus fuerit exquisitissimus. III. si nervorũ, aut arteriarum genus fuerit ἀσθενὲς, imbecillum. IV. si debile extiterit cor, aut cerebrum. Hæc namq; duo principia præcipuè in consensum trahuntur. *Cap. 7.*

149. Sic enim propter infirmitatem stomachi nonnullis ἐπιληψίαι, & κάροι, & κώματα, & καταλήψεις, & παραφροσύναι, & μελαγχολίαι accidunt, principio tùm in cerebro, tùm in nervis consentiente. *Cap. 7.*

150. At quæ cardiacæ vocantur syncopæ, consentiente & in corde, & in arterijs principio, oboriuntur: quẽadmodum & ἀσφυξίαι, & μικροσφυξίαι, & κακοσφυξίαι. *Cap. 7.*

151. Ἄπνοιαι verò accidunt, utroque principio, cerebro & in corde, in συμπάθειαν tracto. Δύσπνοιαι fiũt bifariam. I. ob στενοχωρίαν τῶν φρενῶν, constrictionem diaphragmatis. II. ob συμπάθειαν principij utriusque, cerebri scil. & cordis, perinde ut ἄπνοιαι: nisi quòd causæ ἐν δυσπνοίαις minùs sint vehementes. *Cap. 7.*

152. Causæ autem horum παθημάτων variæ sunt. I ἰσχυρὰ ψύξις, valida refrigeratio: eáque duplex: vel solitaria, citra alicujus humoris præsentiã: vel cum pituitâ admodùm frigidâ conjuncta: qualis est, quæ & colore, & consistentiâ vitrofuso similis est: ob id vitrea à *Praxagorâ* & *Philotimo* nũcupata. II. φυσῶδες πνεῦμα ψυχρὸν, spiritus flatulentus frigidus. III. ποτὸν ἱκανῶς ψυχρὸν, potus insigniter frigidus. IV. ἐδεστὸν ψυχρὸν, cibus frigidus. V. φάρμακον, valdè frigidum. Hæ namq; omnes causæ primùm os ipsum ventriculi refrigerant, & unà cum eo, per nervos quidem cerebrum: per magnam verò arteriam cor refrigerant, *Cap. 7.*

153. *Super-*

153. *Superſunt cauſæ illorum ſymptomatum*, quæ in πρώτῳ αἰσθητικῷ eveniunt, quod Cerebrum eſt. Ab hoc enim veluti à fonte, ſentiendi facultas in ſenſuum ὄργανα per nervos derivatur. Id quod ex nervorum præciſione & ſomno declarari poteſt. *Cap.8.* *Tractatio nis membrũ quartum.*

154. Etenim nervo reſecto, illicò pars, in quam is eſt implantatus, ſentiendi vim amittit. Et ſomni tempore, quo aut nihil, aut parum admodùm à cerebri facultate influit, exteriores ſenſus omninò otioſi ſunt, aut certè debiliter agunt. *Cap.8.*

155. Quemadmodùm verò ſomni tempore animalis facultas quieſcit: ſic cõtrà naturalis operari videtur validiùs: præſertim cùm à mediocri cibo ſomnus capitur. Planum hoc facit concoctio, quæ dormientibus nobis celebratur optimè: non tantùm ea, quæ fit ἐν τῇ γαστρὶ, ventriculo ſcil. & hepate: verùm etiam, quæ in toto corpore reliquo, ſingulíſque ejus partibus peragitur. *Cap.8.*

156. Aequum autem erat, cerebrum aliquando quieſcere propterea, quoniam vigiliarum tempore in actione eſt perpetuâ, & non parùm defatigatur. Opus igitur illi erat, & requie, & virium inſtauratione, quam ſomni tẽpore conſequitur. Eo enim animales ſpiritus reficiuntur. *Cap.8.*

157. Obrepit verò ſomnus præcipuè, cùm vel plurimum facultatis à cerebro defluxit, & ſpiritus animales liberaliter ſunt vacuati: vel ipſummet cerebrũ largiter eſt humectatum. Prior cauſa probatur ex eo; quoniam ab exercitijs & laboribus corporis, qui corpus ſiccant, ſpiritúſq; animales diſſipant, promptiùs ac profundiùs dormire ſolemus. Poſterior inde confirmatur: quia à cibo, à vino immoderatiùs hauſto, & à multis calidíſq; capitis lotionibus ſomnus facilè excitatur. Hæc quippe omnia cerebrum humectant. At humectatione illi opus eſt, ubi multis actionibus, & fatigatum eſt, & exiccatum. *Cap.8.*

158. Con-

158. Conciliari autem somnum, ubi cerebrum impletum humectatúmq; fuerit, etiam *Aristoteles l. de somn.& vigil.* docet. Quanquam in eo errârit graviter; quòd cor πρῶτον αἰσθητικὸν statuerit. Hinc est, quòd nullam probabilem invenire rationem potuerit, cur cerebro oppleto, πρῶτον αἰσθητικὸν, quod ille cor esse dicit, quiescat? Longè namque probabiliùs causam somni in humorem pulmonis, quàm cerebri rejicere potuisset. Si enim somnus fit πρώτῳ αἰσθητικῷ humore oppleto: siq;, ut *Aristoteles* arbitrabatur, corillud πρῶτον αἰσθητικὸν est: sanè à nullo magis, quàm à pulmonis humore oppleri potest. Hic enim cordi circumpositus est, ut illi serviret. Atqui non cor, sed cerebrum hoc esse αἰσθητικὸν, & somni vigiliarúmq; sedē, praxis & experientia suadet. Nam in caro, lethargo, comate, & omnibus veternosis affectibus, non cordi, sed capiti, tanquam morbi radici ac domicilio, medicamenta applicantur, etiam ex illorum sententiâ, qui *Aristoteli* subscribunt. Idem fit in vigilijs, quas deliria & phrenitides excitare consueverunt. *Cap. 8.*

159. Verùm, de his actum alibi pluribus; nempe *l. 3. loc. aff. c. 4.* Hic nôsse expedit causam somni naturalis & non naturalis, comatis scil. cari, & lethargi. *Cap. 8.*

160. Fit autem naturalis somnus, ubi cerebrum à plurimâ actione fatigatum quiescere conatur. Quiescit verò tùm maximè, cum nutrix ejus facultas largo fruitur humore, eóque ex vaporibus sursum à cibo latis nato *Cap. 8.*

161. Non naturalis verò somnus generatur, quando cerebrum à frigido multóq; humore gravatur. Tum siquidē coma, & lethargus, alijq; affectus his similes, ut carus & stupor oriuntur. Præcipua enim eorum causa est frigiditas & humiditas; sive quælibet per se & seorsim consistat, sive ambæ simul sint conjunctæ. *Cap. 8.*

162. Hisce qualitatibus prædita sunt medicamenta, quæ

ὕπνως

ὄντως ὑπνωτικά, verè somnifera dicuntur: & quæ sic quidem vocantur, somnum autem naturalem minimè inferunt, sed potiùs κῶμα, κάρον, καὶ νάρκην παντὸς τοῦ σώματος producunt. *Cap.* 8.

163. Ὄντως, καὶ κυρίως, καὶ δεόντως ὑπνωτικὰ φάρμακα nominantur ea, quæ duntaxat, h. e. citra insignem & vehementem refrigerationem humectant. Quæ verò excellenter refrigerant, neque ὑπνωτικά, neque ἀνώδυνα rectè vocantur, sed ναρκωτικῶν nomine veniunt. Nam pro somno, coma & carum: pro ἀνωδυνίᾳ ἀναισθησίαν, ἢ δυσαισθησίαν inferunt: ídque διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ψύξεως, propter refrigerationis, quâ pollent, excessum. *Cap.* 8.

164. Posterius vitium, quod impropriè dicta ὑπνωτικὰ, rectiùs autem nominata ναρκωτικὰ pariunt, νάρκη nuncupatur. Est enim πάθημα istud δυσαισθησία τε ἅμα καὶ δυσκινησία τῶν νευρωδῶν μορίων; gignitúrque, ut dictum suprà, tùm aliis ex causis, v.g. nervorum compressione, & torpedine marinâ; tùm verò ex intemperie frigidâ, & medicamentis refrigerandi facultate præditis. *Cap.* 8.

165. *Vigiliarum causæ* somni causis sunt contrariæ. Ut enim humiditas & frigiditas somnum conciliant: ita siccitas & caliditas vigilias & ἐρεθισμοὺς, irritationes, vel, ut *l. 2. loc. aff. c. ult. Gal.* loquitur, πολυκινησίας, efficiunt. Exemplo sit φρενῖτις, in quâ calidus mordáxq; aliquis humor duo hæcce symptomata creat. *Cap.* 8.

166. Cæterùm, quemadmodum symptomata ista, quæ sensitivæ actionis sunt læsiones, toti corpori cõmunia sunt: sicquoq; ea, quæ noxæ sunt actionis motricis, in totum corpus redundant: ídq; nullâ aliâ de causâ, quàm quòd ἡ ἀρχὴ, ipsum nimirum cerebrum, quod sensum ac motum omnibus corporis partibus communicat, laboret. Nam quemadmodum in somno profundo omnes sentiendi actiones sunt impeditæ: ita in apoplexiâ motrices. Et sicut in vigiliâ

F senti-

ſentiendi actiones ſupra modum ab ægris exercentur: ſic in σπασμῷ, qui in epilepſiâ contingit, omnes partes corporis præter voluntatem convelluntur, ac plus juſto moventur. *Cap.* 8.

167. Eſſe verò communia jam enarrata ſymptomata, ex eo conſtat; quia vigilia & convulſio motus ſunt πλημμελεῖς, depravati, ipſius principij κινητικοῦ, cerebri. Ergò etiam omnium corporis partium. Apoplexia autem & profundus ſomnus ſunt καταλήψιες καὶ ἡσυχίαι τῶν ἐνεργειῶν τοῦ ἐγκεφάλου, detentiones & quietes actionum cerebri. Ergò & ſingulorum corporis membrorum. *Cap.* 8.

168. Porrò, convulſio duplex eſt: univerſalis & particularis. Univerſalis rursùs gemina: una, quæ fit cum delirio & caro: altera, quæ citra delirium & carûm accidit, & morbũ medullæ cervicalis ſequitur. In illâ nil mirum, delirium & carum adeſſe. Cerebrum enim affectum eſt. In hâc, cùm cerebrum non laboret, abeſſe delirium & carum, conſentaneum eſt rationi. In particulari verò is ſolùm nervus, qui partem convulſam movet, vitium habet. *Cap.* 8.

169. Quæ autem cauſa vera ac genuina ſit, tùm convulſionis, tùm etiam tremoris, palpitationis, & rigoris, qui nõ eſt τῆς σφοδρᾶς ψυχρότητος αἴσθησις, vehementis frigoris ſenſus: ſed ἀνώμαλος ἄπαντος τοῦ σώματος σεισμός τε καὶ κλόνος, inæqualis totius corporis concuſſio & agitatio, χαλεπὸν εἰπεῖν. De illâ tamen aliquid ſequẽti libro proferetur in medium.

COROLLARIA
Ex theſibus deprompta.

I. RECténe Galenus c. 1. *facultates animæ in* ψυχικὰς καὶ φυσικὰς *diſpeſcat? Affirm.*

II. *Vtrum facultates rectè dicantur lædi? Non per ſe: ſed per accidens, ratione læſorum organorum.*

III. *Sitné humor cryſtallinus primarium visûs* ὄργανον? *Affir.*

IV. An

IV. *An cerebrum sauciatum iterum sanari possit? Disting.*
V. *Num optici nervi rectè dicantur cavi? Disting.*
VI. *An Galenus rectè exprimat ὄργανον auditûs θ.46.? Obscurè satis.*
VII. *An olfactûs ὄργανον sint cerebri ventriculi anteriores? N.*
VIII. *An tactus ὄργανα sint membranæ? Affirm.*
IX. *Recténe alij nervi dicantur tantùm motorij: alij tantùm sensitivi? N. Sed unus idémq; nervus facultatem habet, & sensum, & motum communicandi.*
X. *Sitné Galeni decisio ad quæstionem cap.5. motam sufficiens, quâ quærebatur, cur pereat sensus, illæso motu: & contrà, aboleat motus, maneat sensus? Vix videtur.*
XI. *Nunquid cerebrum & spinalis medulla omnium nervorum sint principia? Affirm.*
XII. *Vtrum dolor morbus sit, an symptoma? Posterius placet.*
XIII. *An doloris unica tantùm & proxima sit causa, continui solutio? Affirm.*
XIV. *An odor sit vapor, sive ἀναθυμίασις rerum odoratarũ? N.*
XV. *Vtrum cor, an cerebrum sit πρῶτον αἰσθητικὸν? Cerebrum.*
XVI. *Num cerebrum sentiat παθητικῶς, an ἐνεργητικῶς tantùm? Posterius extra dubium est. Prius controversum. Si tamen sentit παθητικῶς medulla cerebri, obscurè certè sentit.*
XVII. *Sitné somnus omnimoda sensus & motus privatio? Neg.*
XVIII. *Vtrum somnus fiat impedito corde? Neg.*
XIX. *An omnis somnus proveniat tantùm ab humectato & oppleto πρώτῳ αἰσθητικῷ? Neg.*
XX. *An coctiones somni tempore melius peragantur, quàm vigiliarum? A.*
XXI. *Vtrum ναρκωτικὰ vires suas exerceant immoderatâ frigiditate? Neg.*
XXII. *An epilepsia ab imperfectâ ventriculorum cerebri obstructione ortum ducat? Neg.*

FINIS.